



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

In Tit. XXX. De Confirmatione Utili, Vel Inutili.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

tit. latæ, l. 1. §. 5. & 6. v. *Quando appellan. fit.* Hodie datur decendium sive spatium decem dierum, *Auth. Hodie C. De appellat.* idque non à tempore sententiæ latæ, sed scientiæ, l. *Ab eo 3. C. Quomodo & quando iudex etc. c. Conventioni h. t. in 6.* Interim ab eo, qui appellat à tempore scientiæ, intra 30. dies petendi sunt apostoli, id est, libelli seu literæ dimissoriæ, si ve reverentiales, idque instanter, instantius, instantissimè; aliàs præsumeretur renuntiare suæ appellationi.

9. Porro tempora introducendis apud superiorem iudicem appellationibus olim quoque varia præstituta fuerunt, pro iudicium, apud quos agenda erant, gradu, l. 2. C. *De temporib. appellat.* Hodie annus datur ad proseguendam appellationem, idque à die interpositæ appellationis: ita ut ex illo anno subducantur decem dies ad appellandum dari, *Clem. Sicut h. t. vel ex causa bien-nium.* Intra quod si appellatus causam appellationis suæ urgere cesser, sententia, à qua appellatum est, confirmabitur, perinde ac si appellatum non esset, c. *Cum sit Romana 5. h. tit.* quia habetur appellatio pro deserta. Nisi elapso biennio appellans deud audiri cupiat, & justam causam cessationis suæ adterre, c. *Ex ratione 8. h. tit. ubi Gl. qua causa hoc casu iusta habeantur.* Vide Gail. lib. 1. *Obfer 42. & D. Canif. in in Summa lib. 4. tit. 5.*

Altera pars Rubr. est de Recusationibus Re-cusatio est, quâ alter litigantium iudicis, alias competentis, negat se velle stare iudicio, quia ex iusta causa sit suspectus. Cuiusmodi exceptio suspecti iudicis in eo similis est appellationi, quod objecta iudicis suspecti jurisdictionem suspendat, donec causa suspicionis coram arbitris, ab ipsis communiter eligendis, examinetur. Ea-que probatâ, iudex recusatus vel committet causam alicui tertio, in quem consenserint partes, vel eam remittet ad superiorem iudicem: non probatâ verò, recusans condemnabitur in expensas, & iudex recusatus cognoscet ulterius de causa principali, c. *Cum speciali 61. h. t.* Cætera de hac materia vide apud Gail. lib. 1. *Obferu. 33.*

Relationes fiunt ab ipso iudice, coram quo actam est: quia causâ plenè instructâ, omnibus utriusque allegatis maturè discussis, consultatio-neque cum suis assessoribus vel aliis I. C. tis habitâ, si deinde dubitet, quid in ea causa statuere debeat, potest referre rem ad iudicem superiorem, ut ad S. Pont. c. *Intimasti 68. h. t.* Factâ tamen prius ejus copiâ partibus litigantibus, ut videant, qualiter relatio fiat, & si cui fortè ea minus plena vel contraria videatur, possit ab ea appellare, d. c. *Intimasti & l. 1. C. de relationib. V. A.*

IN TIT. XXIX. DE CLERICIS PEREGRINANTIBUS.

Instar appellantis ad S. Pont. habetur, qui Romam peregrinationis ergò proficiscitur, quia & hic intelligitur se suaque protectioni S. Pont. subijcere; perinde atque is, qui appellat

ad Sedem Apostolicam se in tutelam protectionemque ejusdem confert, c. *unico h. t. V. A.*

IN TIT. XXX. DE CONFIRMATIONE UTILI, VEL INUTILI.

Rescriptum, quo confirmatur à summo Pont. ex certa scientia, sententia aliqua, arbitrium vel privilegium, tribuit jus illi, in cuius favorem concessum est; & dicitur hæc utilis confirmatio. Si verò proberetur obrepti-

tium vel subreptitium, inutilis dicenda est confirmatio, & quilibet iudex inferior competentis de huiusmodi rescripto cognoscere potest, c. 3. §. 6. & 7. h. t. V. A.

FINIS LIB. SECUNDI.